

ipse Christus deducere videtur, cum proponit nobis lilia agri, & ea dicit esse magis præclara quàm Salomonis ornatum, tanta est istius floris elegantia, tanta odoris fragrantia, tanta deniq; ipsius virtus in varijs morbis depellendis.

Et ut vnum adhuc vltimo addam, quàm illustre exemplum gratitudinis est in Helioscopio & multis alijs herbis: quarum flores noctu clauduntur, interdiu verò sole oriente rursus aperiuntur, & quasi gestientes præ lætitia effundunt sese erga vitæ autorem: & mox demisso & inclinato capite, ceu signo reuerentiæ, videntur agnoscere & honore afficere autorem suum, dum omni tempore ad solis motum sese componunt, solem recedentem prosequentes, & redeuntem excipientes.

Nos itaq; hoc exemplo commonefacti, flexis genibus agamus gratias Deo, quòd vnicum filium pro nobis